

**CERTAMEN THEOLOGICUM  
DE FIDE TRIUMPHANTI  
METHODO DIALOGICA DIGESTUM**

*In quo Interlocutores sunt*

**CÆNOBITA THEOLOGUS**

JUDÆUS PERFIDUS, GENTILIS CONFUSUS,  
HÆRETIGUS AUDAX, SCISMATICUS DUBIUS.

**A D S S. D. N.**

**PIUM VI. PONT. OPT. MAX.**

**A U C T O R E**  
**D.EMMANUELE OLIVEIRA MASCAREGNAS SILVA,**  
*Conimbricensi Doctore, Sancti Officii Consulatore,  
Trium Ordinum Militarium in Regno Lusitanie*  
**EXAMINATORE**

**P A R S P R I M A.**



**Anno ab Incarnatione Domini M.DCC.LXXV.**

**N E A P O L I**  
**T Y P I S R A I M U N D I**  
**C U M F A C U L T A T E S U P E R I O R U M .**

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

P I O VI.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FELICITER REGNANTI

BEATISSIME PATER



N humilima ; qua par est ,  
submissione , reverentia , gra-  
titudine , ad Sanctitatis tuæ  
pedes provolutus accedo Sa-  
cerdos Lusitanus , unius , Sanctæ Catholicæ ,  
Apostolicæ , Romanæ Ecclesiæ filius , qui inter  
hostiles Libertinorum gladios nec mori timui ,

nec vivere recusavi, dūm Melitæ moram traxi. Et si me proterorum hominum turba despexit, Pietas immensa tua dignetur audire, tamquam militem fortiter pugnantem, è prælio Hæreticorum nunc revertentem. In hac parvi laboris Oblatione, Sanctitati tuæ merito debita, & humiliter oblata, Hebræorum perfidiam ostendo, errores convinco, Ecclesiæ Sanctæ Dogmata propugno, & pro veritate fidei Sanguinem fundere summoperè Cupio: paratus semper in certamine mori. Hanc, quam firmissimè profiteor fidem ab Atavis hæreditavi: Christianus enim sum, de Christianis Nobilibus Parentibus natus, & vexillum Crucis in mea fronte, simul & in Corde, manifestè porto. In Pontifica, Regiaque Conimbricensi Academia Theologiæ Sacrae Doctoris lauream obtinui; ibique Solemni jumento Scripturam Sanctam fideliter interpetrari promisi, fidei misteria tueri, Immaculatam

tam Dei Genitricis Conceptionem defendere ,  
sique Opus fuerit , Sanguine proprio votum  
sigillare . Sancti Officii Consultoris munus in  
Lusitania exercens , acuratè judicis partes ex-  
plevi ; Quapropter cum Apostolo , gentium  
Doctore , fidelium Melitensium Protoparente  
dicere licet . Bonum certamen certavi , cursum  
consumavi , fidem servavi : in reliquo reposita est  
mibi Corona justitiae , quam reddet mibi Dominus  
in illa die justus judex ; non solum autem mibi ,  
sed & iis , qui diligunt adventum ejus . Portas  
verò justitiae aperire quis poterit , nisi Tu  
legitimus Petri successor , controversiarum Ju-  
dex , Universalis Pastor , Claviger Dei Supre-  
mus , qui quodcumque ligaveris super terram ,  
erit ligatum & in Cælis : & quodcumque sol-  
veris super terram , erit solutum & in Cælis .  
Aperi igitur mihi portas justitiae ; quia PIUS  
ES , & ingressus in eas confitebor Domino ;  
in te enim habemus Pontificem , qui possit

Compati infirmitatibus nostris : Quipe in Sexta mundi ætate elegit te Dominus Sacerdotem sibi , & Pii Sexti nomen jussit imponi : quam ob causam dum in humanis exulis vitam duco, latus modulamine Canam.

*Pontificis nomen mundum pietate Cadentem  
Eriget ; Hic Sextus Quintus & alter erit .*

*Lysia Gaudebit , simul ingens Gallia plaudet ;  
Et Reges terræ Subdita regna dabunt .*

*Impia turba ruet , Surget Gens aurea mundo ;  
Nam PIUS efficies hoc pietatis Opus .*

*Sanctitati Tuæ  
Osculo pedum*

D. D. D.

*Addictissimus , obedientissimus , Devotissimus  
Filius , Subditus , Servus .*

D. Emmanuel Oliveira Mafcaregnas , Silva .

Ego autem, sicut Oliva fructifera in domo Dei.  
Psalms. 51.

## SONETO

Qual no Campo Oliveira espicioza,  
Deve ser quem de Christo afé professá,  
Profundo na verdade, que Confessa,  
Constante na defesa glorioza:  
  
Immovel na borrasca furioza,  
Que a calunia, e vingança em vaõ lhe apressa,  
Os premios esperando da promessa,  
Que fazem para sempre alma ditoza:  
  
De Oliveira a sustancia, e propriedade,  
Conservei com Cuidado, e vigilancia,  
Sendo firme na fé da Christandade:  
  
Mostrando a Malta, e a omundo sem jaçtancia,  
Que naõ pôde provar a iniquidade,  
Da pureza da fé adiscrepancia.

*Si Canimus Sylvas, Sylvæ sint Consule dignæ.*  
Virg.

L E C T O R I B E N E V O L O

E P I G R A M M A

**G**Ens dilecta Deo, quæ Christi militat armis,  
Nec mortem metuit, vivere neve cupit.  
Lysiadum soboles Sylvarum, fructus Olivæ  
Servavit Sanctam tempus in omne Fidem.  
Collibus, in Campis, Clivis, & Montibus altis,  
Temporibus Cunctis, Sylva, & Oliva virent.



## AD UNIVERSUM HOMINUM GENUS

### PROLOGUS

**D**eus Optimus Maximus, qui terram dedit filiis hominum, & mundum tradidit disputationi eorum, voluntate seria, & efficaci vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illuminans mirabiliter a montibus æternis dicens: *instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Quod promisit, implevit; Sexta namque die, in qua universi Orbis Opus compleverat: hominem ad imaginem suam creavit, eique mentem dedit rationis capacem, ut sciret reprobare malum, & eligere bonum. Vixit tunc feliciter homo

*Et vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen  
Fortunata fuit; nec poluit ora Cruore,  
Tunc Æ aves tutæ movere per aera pennas,  
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis,  
Nec sua Crudelitas pisces suspenderat hamo;  
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,  
Plenaque pacis erant.*

Hanc desiderabilem pacem homini condito præstítam

per-

perdidit Philautia , sive proprius amor , cūjus lamentabilis in posteros transfusio superbas mentes constituit ; & qui a via veritatis recedere non poterant , innocentiae statu permanente , in tenebrarum gurgitem sunt lapsi , in erroresque quamplurimos miserè ceciderunt ; nullaque mundi ætas postea extitit , neque in perpetuum extabit , in qua mortalium cæcitas evanescat . Præsens ( ut dicunt ) illuminatum sæculum nimio lucis suæ fulgore caligat ; tenebras palpando per singulas Orbis regiones ; quipe Judæus perfidus , Gentilis Confusus , Hæreticus audax , Scismaticus dubius , imò & Christiani libertini Materialistæ Cæci sunt , & duces cæcorum , passim claudicant , & quotidie in foveam cadunt . Cogit ergo charitas lapsos levare , proximè labentes avertere , & ad Domini mei Jesu Christi Ovile ( si possibile foret ] universum genus hominum verbis adducere , veritate convincere . Desiderium hoc implere Summoperè cupiens ad publicum certamen Hebræorum Rabinos , Mahometarum Morabutos , Hæreticorum Doctores , Scismaticorum proceres , Atheistarum turbam intrepidè invitare decrevi . Scio me patere morsibus plurimorum , qui , stimulante invidia , quod consequi non valent , despiciunt . Nil spumantia ora formido , neque libertinorum gladios pertimesco : *Pontificem appello , nunc vilis Apostata dictus ,*  
*Ut Cuntis rebus sit sua dentra mihi ,*

*Solicent alios alii de more Patronos,  
Tuta patrocinio sit mea causa suo ;  
Nam sibi si sumat hæc munera parva laboris  
Tunc possum Viridi cingere fronde caput .*  
Inteligitæ hæc , qui obliviscimini Deum , & stulti aliquando Sapite , Insipientia enim vestra manifesta est omnibus , dixit namque gentium Apostolus Paulus , fidelissimorum Melitensium Protoparens in Epist. II. ad Tim. Cap. 3. Can. 2.


*In novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines seipso amantes , Cupidi , Elati , Superbi , blasphemi , ingrati , scelesti , sine affectione , sine pace , Criminatores , incontinentes , immites , sine benignitate , proditores , portervi , tumidi , O voluptatum amatores magis quam Dei . Habentes speciem quidem pietatis , virtutem autem ejus abnegantes : ex his enim sunt , qui penetrant domos , O captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis , quæ ducuntur variis desideriis . Si verò fidelis hæc Divi Pauli Apostoli descriptio hic , & nunc adversariis adquatè conveniat ; narrent hi qui sentiunt , dicant Melitenses .*

Ego autem ad Campum certaminis veloces dirigo gressus , cogitans depravata corrigere , & Sacramenta Ecclesiæ puro , & fidi aperire sermone : igitur vel a fastidiosis , vel a malignis lectoribus non debeo reprobari , maximè cum assumpti prælii finis tendat , pro-

prosequatur, evadat ad mayorem Dei gloriam quærendam, fidem Catholicam propagandam, Patriam, Proavos, Parentes ab omni Hebræismi, Hæreseosque labi immunes vindicandos, & me simul militantis Ecclesiæ militem profitendum; licet enim; immo & incumbit Lusitano viro illustri, fidelissimi Regis Subdito, bonum certamen certare, fidem servare, Christum confiteri; Sique Opus fuerit, Sanguine proprio, Ecclesiæ, Patriæ, Parentum, suique nigrefactum honorem fortiter reparare; cecinit namque quidam Poetarum.  
*Omnia si perdas, famam servare memento;*  
*Qua semel amissa, postea nullus eris.*


Valeto extra Valetam.

Fuit primus Inquisitor Generalis in Regnis Lusitanicæ, O Algarbiorum D. Fr. Didacus Sylva, Regis a Conciliis, Ceutæ Episcopus, O Auctoris Avunculus; ita Fr. Ant. Sousa tract. de origine S. Inquisitionis in regno Lusitanicæ. Pastana Lib. I. Genealogia Nobilitatis Lusitanæ. Cap. 34.



# DISSERTATIO THEOLOGICA

## P A R S P R I M A.



Ostquam cecidit , Civitas illa magna ,  
Ullisipo , quæ amicta erat auro , & bys-  
so , purpura , & omni lapide prætioso or-  
nata , in qua de prætiis ejus divites fa-  
cti sunt omnes mercatores terræ . Post-  
quam atrita est Civitas vanitatis , dere-  
licita in urbe Solitudo , & clausa est omnis domus , nullo  
introeunte ; in terram alienigenarum gentium pertransivi ,  
bona enim , & mala in hominibus tentavi . Sapientiam om-  
nium antiquorum exquirens , in Prophetis vacans , scriptu-  
ras perlegens cor meum tradidi ad vigilandum diluculo ad  
Dominum , qui fecit me , & in conspectu Altissimi depræ-

cabar , ut me per vias rectas dederet , requiem donaret ,  
 locumque habitationis pacificum mihi ostenderet , ubi  
 Divinis laudibus occupatus quietam vitam transigerem .  
 Tunc veluti per somnium sonabat in auribus meis me-  
 morandum illud Isaiæ Prophetæ vaticinium : *in insulis ma-*  
*ris nomen Domini Dei Israel : secretum meum mibi , secretum*  
*meum mibi . Hoc Propheticum arcanum omnes , & singulas*  
*terreni maris insulas in mentem revocare coegit , ut vi-*  
*derem , & scirem ubi nomen Domini Dei Israel religione*  
*Sacra pereniter laudatum , adoratum , superexaltatum fo-*  
*ret ; & postquam terreni , Adriatici , jonici , oceanique ma-*  
*ris insulas omnes mente perlustravi , Melitam præ omnibus*  
*piam , religiosam , illustratam , longe præcelentem inven-*  
*ni . Hæc enim est Insula , in qua juxta Isaiæ oraculum no-*  
*nomen Domini Dei Israel , ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio*  
*laudabile , Benedictum , superexaltatum , indelebile perman-*  
*cit , ut fidei , fidelitatisque indegenarum suorum Sacra mo-*  
*numenta testantur . Gentium Doctorem Divum Apostolum*  
*Paulum Protoparentem meritò se gloriatur habere , qui post*  
*naufragium ab eisdemmet incolis , licet tunc barbaris be-*  
*nigne receptus supra firmam petram Melitensem Ecclesiam*  
*lætus ædificavit , benedixit , instruxit , ut esset in perpe-*  
*tuum fide pura , & pietate dilecta , hujuscæ benedictionis*  
*fructum certò probavit eventus , nam si omnium terreni*  
*maris Insularum annalia considerabis , proculdubio videbis*  
*Insulas omnes infectas extitisse , aut Orientalibus erroribus ,*

aut

## ( III )

aut Occidentalibus deliriis, vel Aquilonibus figmentis, vel Africanis venenosis affatibus. Melita vero a Paulo benedicta inter tot rerum discrimina, temporumque vecissitudines, ab omni labore illæsa, fidem Catholicam integrum, inviolatamque servavit; qua propter sicuti & fundatori suo, reposita erit illi Corona justitiae, quam reddet Dominus in illa die, in qua de Melita non verificabitur: *væ vobis habitantibus in insulis maris.* Hanc, quam religosam, piam, devotam agnovi in domicilium perpetuum præelegeram, nil me terrens illud anagrama poeticum:

*Melita pro mel incipit, ast anagramate versa*

*Non mel, sed malè it. Melita significat.*

Igitur cum ex proprio vocabulo *Melitæ* tam mel, quam malum deducitur. Cogitabundus dicebam: Emmanuel vocor, butirum, & mel comedam ut sciam reprobare malum, & eligere bonum. Vadam ad montem myrræ, & ad colem thuris, vox clamantis in deserto vocat me Domini præcursor Joannes, Paulique doctrina suadet, quid immoror? vadam. Veni tandem, flante austro, ad littora Melitæ, cæterum sicut.

*Paulus, Aristarchus, Lucas, & Tropimus Äger.*

*Naufragium hic passi, naufragus ipse fui.*

Cumque evasisssem, de mari tunc cognovi, quia *Male* it Insula vocabatur; illam namque non modicam humanitatem, quam Paulo, & ejus Sociis Barbari præstitere, minime hic inveni, neque Principem Publum, sed alium, *Qui ignorat*

bat Joseph . Propter quod elongavi fugiens , & mansi in solitudine , dixit enim Propheta : *ingredere in petram , & abscondere in fossa humo.* Itaque ab omni hominum Comercio segregatus eremiticam vitam prosequabar Deo gratias agens , & cum Ecclesiastico dicens : *Confitebor tibi Domine Rex , & collaudabo te Deum Salvatorem meum . Confitebor nomini tuo , quoniam Adjutor , & Protector factus es mibi , & liberasti corpus meum a perditione , alaqueo linguae iniquae , & a labiis operantium mendacium , & in conspectu astantium factus es mibi adjutor , & liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus preparatis ad escam , de manibus querentium animam meam , & de portis tribulacionum , quae circumdederunt me , de altitudine ventris inferi de verbo mendacii , & a lingua injusta . Memoratus sum misericordiae tuae , Domine , & operationis tuae , quae a seculo sunt , quoniam eruis sustinentes te , Domine , & liberas eos de manibus gentium , laudabo nomen tuum assidue , & collaudabo illud in confessione -*

Hæc agens , hisque immorans dum medium silentium tenerent omnia , & nox in suo cursu medium iter perageret in solito , & repentina strepitu pulsare ad ostium sentio , currensque ad januam intrèpide interrogo . Quis es tu ! qui sic importune pulsas , noctis quietem interrumpis , & solitarium conturbas . Tunc lachrimabili voce respondere audio : sum quidam viator , qui erravi in Solitudine , aperi mihi januam aperi absque timore . Cogitans ergo quod nec

Deus

Deus sine proximo amatur , nec proximus sine Deo diligitur , januam aperiens dixi : ingredere , charissime frater , pax Domini Jesu Christi sit semper nobiscum . Ad hanc piam salutationem siluit hospes , mihique non levem suspicionem , ejus silentium reliquit , cæterum timore superato , pavore deposito resolutus interrogo , quis es tu !

JUDÆUS . Sum Abraæ filius . CÆNOB . O felix homo , o ter , quaterque beatus : etiam Dominus meus Jesus Christus secundum carnem filius Abraæ dicitur . Pater fidei nostræ Abraam summus , Pater est cunctorum credentium . Tu ergo cum filius Abraæ sis fidem firmiter profiteberis , & per fidem justificaberis ; scriptum est enim : Credit Abraam Deo , & reputatum est illi ad justitiam ; Ast Abraam duos filios habuit unum de Ancila , alterum de libera , es ne tu liberæ , an Ancilæ filius ? JUDÆUS : Liberæ filius natus sum , sed hodie propter peccata ingemiscimus in servitutem redacti , & omni populo in derisum , opprobrium , & in contumeliam , indespersionem gentium , sine Rege , sine Sacerdote , sine templo , absque Sacraficio . : CÆNOB . Et quod adeo grave peccatum gentis vestræ istud est , iram Dei provocans , infinitamque misericordiam detinens : JUDÆUS : nescio : CÆNOB . per verbum nescio resolvitur omnis quæstio , oportet nunc refectionem sumere , requiescere somnum Carpere , & Crastina die delebitur iniquitas terræ , & orietur super te Lux vera de Cælo : JUDÆUS : fiat sicut vis , & Deus Abraam , Deus Isaac , & Deus Jacob , qui

qui benedixit Patri nostro Abraæ cum Angelos hospicio  
recepit , det tibi de rore Cæli , & de pinguedine terræ  
abundantiam frumenti , vini , & olei : CÆNOB. : Frater  
hora est jam nos de somno surgere , abiicere opera tene-  
brarum , & induere arma lucis , quid enim est sonus ge-  
lidæ nisi mortis imago ; longa quiescendi tempora facta da-  
bunt , veniet illa ultima dies , in qua omnes in monumen-  
tis dormientes , in voce Archangeli , in novissima tuba re-  
surgemus ; ergo dum dies est , dum lucem habemus opere-  
mur bonum , surge , & ad Altare Domini te exspecto ut  
discursum jam cæptum pacificè prosequamur , JUDÆUS :  
Sargam absque mora , & præsto adero . CÆNOB. Vado in-  
terim pro te Dominum rogare , nam Ecclesia Sancta , Ca-  
tholica , Apostolica . Romana , & pro perfidis Judæis præ-  
cipit orare . JUDÆUS : ecce ad sum . CÆNOBITA Ingre-  
dere Abraæ fili , Ingredere in Ecclesiam Dei viventis ,  
& videntis : Hæc est enim piissima illa mater , quæ non  
solum venientes recipit sed & dispersos congregat , prote-  
gitque sub alis . Hæc est Cataclismi , sive diluvii arca , in  
qua universum semen salvabitur ; Civitas vera refugii , ad  
quam quis configiens securus evadit . Hæc est domus Do-  
mini firmiter ædificata , quam decet Sanctitudo in Longi-  
tudinem dierum , in ea omnis , qui petit accipit , qui  
quærerit invenit , pulsanti aperietur ; hanc domum ædificavit  
sibi Sapientia excidens columnas septem , fidem scilicet ,  
Spem , Charitatem , prudentiam , justitiam , temperan-  
tiam ,

tiam, & fortitudinem. Hæc est Civitas de Cœlo descendens parata sicut Sponsa ornata viro suo; in qua cunctis patent Ostia ab oriente portæ tres, ab occasu portæ tres, ab aquilone portæ tres, & ab austrō portæ tres. Hæc est Hyerusalem terrestris, quæ Celsa de viventibus Saxis ad astra tolitur; hanc Saxa molem construunt, aptisque juncta nexibus locantur in fastigio; si homo negociator es, & bonas margaritas queris, hæc margaritis emicat, quas sine auro, aut argento emes; ingredere, quid times, video te ab antiquo Serpente miserrimè vulneratum, scias igitur quod sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ut qui percussus aspiciens viveret, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Aspice in Authorerū fidei, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum Contradicitionem; Hic ille Rex est gentium, populique Rex Judaici promissus Abraæ Patri, ejusque in ævum Semini: amare siebas vivere sine Rege, sine templo, sine Sacerdote, absque Sacraficio; jam tibi templum Dei vivi, Ecclesiam Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam illustratam ostendi, Columnam, & firmamentum veritatis; nunc vero omnia in uno videbis.

Lege titulum, & Epigraphen Crucis literis hæbraicis, Græcis, & latinis scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum* ecce Rex tuus mansuetus venit tibi, qui regnavit aligno, Rex regum, Dominus dominantium, & regni e-

jus

## ( VIII )

jus non erit finis. Ipse est etiam Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech, Pontifex futuri Sæculi, qui semetipsum obtulit pro peccatis populi & exauditus est pro sua reverentia, Condolens his, qui ignorant, & errant: errabas in Solitudine, ut hac nocte asserebas, ecce Pastor bonus missus ad oves, quæ perierant domus Israel, qui non agintanovem in deserto relinquens super humeros suos te imposuit, & in salutis locum aduxit; ne expavescas venientem lupum, ingredere in Christi Domini Ovile, & pascua invenies; non dabitur tibi manna, quod Patres tui manducaverunt in deserto, & mortui sunt, sed panis de Cælo verus, panis vitæ, & intellectus, quem, quis dignè manducat, vivet in æternum. Paratur tibi mensa Domini, non esuries amplius, neque sities; vinum bibes germinans virgines, non de vineis Engaddi, sed de Torculari, quod Jesus calcavit solus, Caro quipe illius verus est cibus, & sanguis vere est potus; Si autem Sanguis hircorum, & vitulorum aspersus inquinatos mundabat, quomodo Christi sanguis te non sanctificabit: eja age, rumpe moras ingredere in templum Dei; sed prius oportet te lavare, non septies in Jordane, ut Naaman Syro Eliseus indixit, sed semel in Baptismali fonte ablueret; neque tibi ablutio onerosa erit, nam apud Judæos frequens fit purificatio; lavant enim manus suas cum panem manducant; lineam & te Oleo Salutis; & sicuti Tobiæ linito, & Paulo abluto ex oculis amborum squamæ ceciderunt, simili-  
ter,

ter, & tibi eveniet si firmiter, & ex toto corde credideris  
 Deum esse unum in essentia Trinum in Personis Patrem,  
 scilicet, Filium, & Spiritum Sanctum; Et in Jesum  
 Christum filium ejus, unicum, Dominum nostrum, qui  
 Conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine,  
 Crucifixus, mortuus, & sepultus, qui & resurrexit tertia  
 die, ascendit in Cælum, Sedet ad dextram Patris, unde in  
 ultima die venturus est judicare vivos, & mortuos, & qui  
 crediderit, & Baptisatus fuerit Salvus erit, qui vero non  
 crediderit condemnabitur. *Credis hoc?*

JUDÆUS: Quis es tu! insanus Cœnobita involvens fenten-  
 tias sermonibus imperitis; mihi legis doctori, Africanae si-  
 nagogæ Rabino suadere audes credere in Deum Trinum,  
 & unum, nil cogitans ex propriis terminis evidentem con-  
 tradictionem oriri. Si Deus Trinus est, quomodo unus  
 dicitur! Si unus est, quomodo ~~Trinum~~ prædicas, unitas e-  
 nim pluralitatem excludit, pluralitas unitatem repellit.  
 Præterquam in veteri testamento, unicum Sacrae Scripturæ  
 textum non invenies, Deum Trinum afferentem, benè  
 vero unum passim affirmantem; quapropter Ebræi altio-  
 ri voce clamant dicentes: *Deus noster unus est.* Polithei-  
 smum clausis oculis, amplectuntur Christiani, dum in Deo  
 Trinitatem venerantur, & profitentur. Deum Patrem fin-  
 gere illis non pudet, Deum filium a Patre genitum afir-  
 mant, ab utroque procedentem Deum Spiritum Sanctum  
 agnoscunt. In hac æterna generatione degladiantur inter se

Theologi , ut filium astruant generatum ex cognitione possibilium , aut futurorum ; Si ergo futurum , possibilevè nullum foret , Pater genitor jam non esset . Simili modo si Spiritus Sanctus a Patre , filioque procedit , quando Pater filium genuit Spiritu vivificanti carebat , quo filium generare debuerat ; quid adhæc pauper Cænobita respondes .

CÆNOBITA . Quicumque vult salvus esse , ante omnia Opus est , ut teneat Catholicam fidem , quam nisi quisque integrum , inviolatamque servaverit , absque dubio in æternum peribit : fides autem Catholicæ hæc est , ut unum Deum in Trinitate , & Trinitatem in unitate veneremur , neque Confundentes Personas , neque substantiam separantes , Alia est enim Persona Patris , alia Filii , alia Spiritus Sancti ; sed Patris , & Filii , & Spiritus Sancti una est Divinitas , æqualis gloria coæterna Majestas ; ut tamen tuis claudicantibus argumentis faciam satis , & animam tuam è tenebrarum gurgite eripiam , ad singula respondere decerno : Si Trinus , dicens , est Deus , quomodo unus , si unus quomodo Trinus ! unitas pluralitatem , pluralitas unitatem excludit : perbelè sinagogæ Africanæ Magister ; Nos utique in Deo non plures , sed unam infinitam essentiam Catholicæ profitemur , in ipsaque Personarum Trinitatem veneramur ; Si enim sicut est Patris , & Filii , & Spiritus Sancti una substantia , sic esset una persona ; nihil omnino esset , in quo veraciter Trinitas diceretur . Rursus quidam Trinitas esset vera , sed unus Deus Trinitas ipsa non esset .

esset. Si quemadmodum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, & in una natura unus est. Per hanc unitatem naturalem, totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto est, totusquoque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio; & sicut singillatim unamquamque Personam Deum, ac Dominum Confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. Vides igitur Christianos Polytheistas non esse? unumque Deum Colere, qui fecit Caelum, & terram.

Insistebas, si recte recordor, aferendo nullum in veteri testamento textum reperiri Trinitatis misterium indigantem, Magister in Israel es, & haec ignoras! Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Mayores tuos, & dicent tibi, hujuscem namque inscurabilis misterii fidem, Sancti Patriarchae, atque Prophetae ante incarnationem Filii Dei Divinitus acceperunt: utque veritatis lumen tibi, tuisque ellucescat accipe veteris testamenti non obscura testimonia; Et primo lib. Gen. Cap. I. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & creavit Deus hominem ad imaginem suam: agnosce Dei unitatem cum dicitur Deus, Trinitatem simul in verbo faciamus. Inteligitе haec, qui obliviscimini Deum, & stulti aliquando sapite. Oportet

interim in libri hujus Capite paulisper immorari, ut sit tibi notum nulli hominum licere a fide Trinitatis abesse, quapropter mecum Canones in opere sex dierum accurate perlege. Sexta die, in qua Deus hominem ad imaginem suam creare decreverat: *faciamus dixit hominem*, ut homini condito, ejusdemmetque posteris ineffabile Trinitatis misterium certo innotesceret; ut *ex quo omnia*, per quem *omnia*, in quo *omnia* agnoscerent, & agnoscendo diligenter; nullaque Protoplasti propagines foret, quæ de Triade Sanctissima dubitaret. Progrediamur ulterius, ut si forte Deum Trinum in testamento veteri invenire possimus. Eodem lib. Gen. Cap. 3. Cum Serpens Calidior omnibus animantibus terræ, vel dæmon Serpentis figuram induens Evam suasisset ut de fructu prohibito comedeleret, dixit: *eritis sicut Dii*, ex qua prolatione evidenter Colligitur a mundi Constitutione misterium Trinitatis revelatum iri, & Angelis, & hominibus, quam ob causam, tentator non dixit: *eritis sicut Deus*, sed *sicut Dii* quasi primis Parentibus indigitans, offerensque Patris Omnipotentiam, Filii Sapientiam, Spiritus Sancti gratiam, aserens humanam progeniem Trinitati similem evasuram; sic alliciebat seductor ut incautos securè deciperet. Cap. eodem Can. 22. legitur: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est: similis autem loquendi modus in Persona una verificari non vallet: Confiteri igitur necesse est, Deum esse unum in Essentia, in Personis Trinum Patrem, scilicet, Filium & Spi-*

ri.

## ( XIII )

ritum Sanctum. Genes. Cap. 18. Leges quod Dominus a-  
paruit Abraæ in Convale Mambre sedenti in Ostio taber-  
naculi sui infervore diei: Cumque elevaraſſet oculos aparue-  
rant ei tres viri ſtantes propè eum, quos cum vidiffet cu-  
currit, & adoravit in terram, Personarum diſtinctionem fa-  
ciens, Dei Unitatem agnoscens; ex textu allato vel jam  
Individuæ Trinitatis misterium Conſiteberis, vel Abraæ fi-  
liationem denegabis. Ulterius lib. Exodi Cap. 3. Can. 6. 15  
16. Et Cap. 4. Can. 5. ubi Dominus ad Moiſen ait: ego  
ſum, qui ſum, Deus Abraam, Deus Iſaac, & Deus Ja-  
cob. Regius vates Psalm. 32. v. 6. verbo Domini Cœli fir-  
mati ſunt, & Spiritu Oris ejus, omnis virtus eorum: ergo  
in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &  
Deus erat verbum; & si Spiritu Oris ejus omnis virtus eo-  
rum, certò tres ſunt qui testimonium dant in Cœlo Pater,  
ſcilicet, filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt:  
Crede ergo Evangelistæ: Si autem Evangelio non credis,  
verba ſaltem Iſaiæ Profetæ ne despicias; qui Cap. 34. Can.  
16. vobis absque excuſatione incredulis ita loquitur: re-  
quirite diligenter in libro Domini, & legito librum Cap.  
6. Can. 1. ubi ſic: Vidi Dominum ſedentem fuper Solium  
excelsum, & elevatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant  
templum, Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, &  
ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus ve-  
labant pedes ejus, & duabus volabant, & clamabant alter  
ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus

Deus

## ( XIV )

Deus exercituum , plena est omnis terra gloria ejus ; & commota sunt superliminaria Cardinum a voce clamantis ; hac verò clamorosa voce , commoveri nolunt corda Judæorum ; ut tamen cor tuum commoveri valeat præfati textus interpretationem tibi aperiam : Seraphim alis duabus faciem velantes , Judæorum perfidiam , & incredulitatem significant , Judæo namque primū Deus faciem suam ostendit ; sed ob infidelitym dereliquit dicens : *Exæcta cor populi hujus , & oculos ejus agrava , ut videntes non videant ;* & sicut Moïses velata facie loquebatur hebræis ; ita Dominus usque adhuc populo neganti , & contradicenti loquitur in pœnam incredulitatis , Conjunctionis , & perfidiae . Seraphim cùm alis duabus pedes Domini velabant , Gentilium genus adumbrant ; horum namque progenies per orbem longe , lateque disusa vel in Paganismi idolatriam lapsa est ; vel Confusii leges ut chinenses venerantur ; aut falsi Prophetæ Mahometis , clausis mentis oculis errores sequuntur , his similiter Dominus non dignatur se præbere videndum . Alæ duæ expansæ , quibus Seraphim volabant , pusillum Christi Domini gregem indigitant nobis namque , qui Christiani nominamur , & sumus datum est noscere Sacrosanctæ Trinitatis ineffabile misterium , istud enim est janua , per quam in Ecclesiam Sanctam ingredimur baptisati in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ; sub umbra alarum fuarum ab inimicis nostris protegit nos Dominus , dum fortiter militamus , fidemque Catholicam firmiter profitemur ; scimus de-

denique, quod infidei Trinitatis electi recipiuntur ad gloriam; & ideo cum Angelis, & Archangelis, cum thronis, & Dominationibus, cumque omni militia Cælestis exercitus hymnum gloriæ suæ canimus sine fine dicentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth plena est omnis terra gloria tua, Osana in excelsis;* Judæis vero negantibus, & contradicentibus facies Domini velatur, quipe generatio hæc perversa & adultera in faciem Domino restitut. Pagani, Idolatris, Mahometanis pedes abscondit, quia hoc genus hominum pulchros Evangelificantum pedes non recipit, verbum Dei non audit, viam veritatis non elegit; Et sufficient ut suafus evadas, quod in veteris testamenti pergam quamplures reperiuntur textus Individuæ Trinitatis misterium aserentes, ex quibus cœcitas, utpote Judæorum supplicium, non obscurè eruitur, & comprobatur; Quid dicas ad hæc Libianæ Sinagogæ Magister?

JUDÆUS: Veteris testamenti textus in quorum alegorica, & anagogica interpretatione sedulò laborasti, nil aliud probant, quam Deum, Optimum Maximum unum esse, quem omnis Hebræorum natio religiosè colit, ipsumque Mahometicæ legis Sectatores reverenter adorant, non denique in aductis, & male deductis testibus Christianorum tripodium reperitur, Genitoris, scilicet, Geniti, & ab utroque procedentis pronomina, quibus Theologorum turba maximam gentilium partem in Superstitionem induxit, dicens: Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Patrem in Filio,

lio, Filium in Patre, & in Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum in Patre, & Filio, hasque personas coæternas sibi esse, & coæquales, Increatas, Immenas, Æternas, Omnipotentes, Divinas, Dominatrices; Patrem a nullo esse factum, nec creatum, nec genitum, Filium a Patre non factum, nec creatum, sed Genitum Spiritum Sanctum a Patre & Filio non factum, nec creatum, nec genitum, sed ab utroque procedentem, non tamen tres increatas personas; sed unus increatus, & unus immensus, nec tres æternas, sed unus æternus, nec tres Omnipotentes; sed unus Omnipotens, nec tres Dominos, sed unus Dominus, nec tres Deos, sed unus Deus. Quis Sapiens, & inteligit hæc! aut quis adeo amens ut similia Theologorum vestrorum somnia credat; credebia namque possibilia, non vero impossibilia sunt.

CÆNOBITA: Qued non capis, quod non vides, animosa firmet fides; Quæ aprimè ab Apostolo dicitur: *Substantia sperendarum rerum argumentum non apparentium*. Quæ sanè credentibus præstat vitam æternam; Crede ergo Deo revealanti, cuius Authoritas ex summa Sapientia, & veracitate coalescens, nec falere, nec fali potest; fateor & ego generationem æternam non comprehendere, meæ vero, tuæque comprehensionis defectus, Trinitatis misterium impossibile reddunt! absit; multa enim in quamplurimis naturæ arcanis reperiuntur, quæ humanæ menti impossibilia sunt, vera tamen, & realia sunt; quipe nec omnia datum est scire mortalibus. Quis Salomone Sapientior! tria tamen ipse deficit.

## ( XVII )

ficia invenit, & quartum penitus ignoravit, viam aquilæ in cælo, viam navis in medio maris, viam Colubri super petram, viam viri in adolescentia sua, quæ singula intra naturæ limites continentur; quid igitur mirum, si nullus intellectus creatus interminabile pelagum, infinitum Divinæ essentiæ abyssum, æternam generationem, processionemque comprehendere potest. Liceat nobis cum Paulo dicere, *o Altitudo Scientie, & Sapientie Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus: Oportet denique ad convincendam Judæorum perfidiam tibi paucis verbis ostendere.* Innefabile Trinitatis misterium esse evidenter credibile, ut sequenti argumentatione efficaciter prælibare decerno; sicque argumentum conficio.

Quod est evidenter possibile est simul evidenter credibile, Individuæ Trinitatis misterium est evidenter possibile: ergo evidenter credibile; evidenter enim possibile illud dicitur, quod ad sui existentiam nullam habet repugnantiam; & hoc in Trinitatis misterio dignè commendatur. Primo quipe de aëtu ad posse valet consecutio. Secundo in Creaturarum essentia, & existentia non semel tria in uno reperiri scimus, absque ulla unitatis læsione: in anima rationali tres sunt ab invicem distinctæ potentiaæ memoria, scilicet, intellectus, voluntas, & tamen non tres animæ. In sole lucem, calorem, radiosque miraris, & semper Sol quia solus unicam substantiam continens. Si Mathematicos Consuleris quantitatem in continuam, & discretam dividentes. In I.<sup>a</sup> figuram

C

trian-

trianguli tibi dicent esse perfectissimam. In II.<sup>a</sup> Confitentur numerum ternarium totius Arithmeticæ esse Complementum; quæ omnia ineffabilis misterii possibilitatem astruunt, ejusque existentiam, sive non repugnantiam non obscurè ostendunt: ut tamen omnibus, & singulis Judæorum Rabbiis, Mahometis Sectatoribus, tibique oculos aperiam libenter in arenam descendo, & primò.

Inquiero Sic.: Hic Deus unus, quem religiosè, reverenter, humiliter colitis est nè ille Omnipotens Dominus, qui ex nihilo fecit Cælum, & terram, qui hominem ad imaginem suam formavit, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, qui mare intra limites conclusit, qui producit ventos de thesauris suis, qui creavit omnia simul, in quibus est anima vivens, & obedientiam potentiam singulis creaturis imposuit. Est nè Deus vester Dominus ille Altissimus, qui solem suum ori- ri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & in- justos, qui post Catheclysmum benedixit gentes, crescere fecit, multiplicavitque super universam faciem terræ, quan- do separabat filios Adæ, & terram dedit filiis hominum. Est denique hic Deus Dominus vitæ, & mortis, ad cuius natum Orbis Cardines tremunt, & contremiscunt! vel di- versus est Deus vester, aliis ab illo Deo O. M. quem Christianus populus fideliter adorat, aut veluti Manichei Deum unum totius boni Authorem facitis, vel in alterum universi mali productorem creditis! dicas amabo quis sit iste

## ( XIX )

iste Deus Judæorum , Turcarum , paganorumque .

JUD. : Deus noster est omnium Deus , cui æquanimiter conveniunt Bonitas , Magnitudo , Æternitas , Potentia , Sapientia , Voluntas , Virtus , Veritas , Gloria ; Infinitas , Immensitas , Simplicitas , Immutabilitas , Justitia , Misericordia , Pietas , & Providentia , non tamen in Deo nostro reperiuntur notiones , ut sunt Paternitas , Filiatio , Spiratio activa , Spiratio passiva , innascibilitas , quæ omnia fuerunt , & adhuc sunt Theologorum Somnia ; Quipe Deus unus est , non Genitor , non Genitus , nec ab utroque procedens , neque alicujus indiget auxilio , ut operetur , ipse namque solus , omniaquæcumque voluit , fecit in Cælo , & in Terra : Si denique Deum de Deo , Filium a Patre Genitum , Spiritum Sanctum ab utroque procedentem , tamquam amentes Christiani confiteremur , dicere simul oporteret , filium alium filium generare , Spiritum aliud Spiritum producere , & sic in infinitum Divina Generatio multiplicanda foret , tuncque Judæi cum Mahometanis Polithæistæ evaderent , quod Deus unus avertat .

CÆNOB. Deus vester , quem religiose Colitis non est Corporeus , ut Antiprophormitæ aserebant ; Sed est Spiritus purissimus , omni Compositione carens ; Substantia Spirituæ Simplicissima , Æterna , immutabilis , infinita , cuius natura Bonitas , cuius Voluntas Potentia : Ergo cùm Deus sit infinitè intelligens , voluntate , perfectione , & Bonitate præditus , necesse est ut sit in essentia unus , Trinus in Personis

Pater , Filius , & Spiritus Sanctus . Ad auscultandam hujus illationis probationem , voca Hebræorum Rabinos , Turcarum Morabutos , Epicurei discipulos , Spinosæ Sectatores , omnesque , & singulos Orbis Atheistas , Politheistas , Deistas.

Deus cùm sit infinite Perfectus existere non potest absque Infinita fæcunditate perfectionis ad intra ; atqui infinita perfectionis fæcunditas per actus intellectus & voluntatis exèrcetur : igitur Deus infinitè perfectus est simul infinitè intelligens , & infinitè volens ; dumque semetipsum noscit , necessariò a se verbum mentis producit . Habemus jam Genitorem , genitumque , & unum ab alio realiter distinctum , quipe genitoris , & geniti sunt relationes diversæ ; in Deo autem omnia sunt unum , ubi non obviat relationis opositio , Deinde hoc verbum mentis , speculum sine macula , & imago Bonitatis illius Patris , ex quo natum ante omnia fæcula , diligit Patrem , & Pater in Filium amorem inspirat ; hujusmodique mutuæ dilectionis terminus ab utroque per actum infinitæ voluntatis procedens vocatur Spiritus Sanctus , tertia Individuæ Trinitatis persona . Pater vero præcedit Filium , & Spiritum Sanctum prioritate non temporis , sed Originis ; Filius autem cùm sit completus , & adquatus Æternæ Generationis terminus aliud non potest producere : ergo non tres Dii , sed unus Deus , non tres Increati , nec tres immensi , sed unus Deus in tribus Personis , ab eadem indivisa Divina Essentia intellectus , & voluntatis infinitatem participantibus : igitur nulla est

po-

possibilitatis misterii repugnantia; Sed maxima credebilitatis evidentia. Crede ergo quia tres sunt, qui testimonium dant in Cælo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Hæc suficiant, de Deo pauca. Credere quod non vides, est fides, & non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum; qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur.

JUD.: Fateor sanè, quod lumen aliquod, licet parvum de possibiliitate, & credibilitate hujus misterii mihi atulisti; ast relictis hisce Theologicis quæstionibus, obsecro te ut promissis plenè satisfacias, ostendens; quam ob causam, gens Hebræorum, populus Dei electus in ignominiam, dispersionem, Contumeliam, & in derisionem sit redactus, perque omnes mundi plagas dispersus, elasis jam Sæculis quamplurimis, sine templo, sine Rege, sine Sacerdotio, absque Sacraficio, & quod magis est etiam barbaris nationibus odibilis, execrabilis, abominabilis fit.

CÆNOB.: Sacrosanctæ, & Individuæ Trinitatis misterium, tam posibile, quam evidenter credibile tibi, & perfidiæ, incredulitatisque sectatoribus, non obscurè ostendi; nunc verò referam, quam ob causam, gens Hebræorum in ludibrium, opprobrium, & abominationem apud omnes nationes sit habita, priusquam tamen hujusc maximi suplicii originem aperiam, gentis tuæ Chronologiam atende.

Quando Altissimus dividebat gentes, & separabat filios Adam, apparuit Patri vestro Abraæ, cum esset in Meso-

po-

potamia, priusquam moraretur in Charan & dixit illi: *exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Tunc exivit de terra Chaldeorum, & habitavit in Charan; & inde postquam mortuus est Pater ejus *Thare translulit illum Dominus in Palæstinam;* hanc repromisit Deus dare in possessionem Semini ejus post ipsum, cui simul revelavit, quod semen ejus futurum erat accola in terra aliena, & servituti subjectus annis quadrigenitis, & post haec liberatum iri ad serviendum Deo in terra illa. Tunc dedit ei testamentum Circumcisionis tamquam signum populi electi ad differentiam Gentilium; & sic Abraam circumcidit Isaac, Isaac Jacob, Jacob duodecim Patriarchas, hi æmulantes Joseph vendiderunt eum Ismaelitis, & translatus in Ægyptum fuit Deus cum illo, & eripuit eum ex omnibus tribulationibus, deditque ei gratiam, & Sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Aegiptiorum, qui constituit eum Præpositum super Aegiptum, & super omnem domum suam; venit autem fames in Chanaan, & tribulatio magna, & non inveniebant cibos Patres vestri. Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Aegipto misit Patres vestros primùm, & in secundo cognitus est Joseph a fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus. Mittens autem Joseph accersivit Jacob Patrem suum, & omnem cognitionem suam in animabus septuaginta quinque: Et descendit Jacob in Aegiptum, & defunctus est ipse, & Patres vestri, & translati sunt in Sichem,

## ( XXIII )

chem , & positi sunt in sepulchro , quod emit Abraam præ-  
tio argenti a filiis Hæmor , filii Sichem ; Cum autem a-  
proprinquaret tempus promissionis , quam confessus erat Deus  
Abraæ , crevit populus , & multiplicatus est in Aegipto ,  
quoad usque surrexit alias Rex in Aegipto , qui non scie-  
bat Joseph . Hic circumveniens genus vestrum affixit Pa-  
tres , ut exponerent infantes suos ne vivificantur . Eodem  
tempore natus est Moyses , & fuit gratus Deo , qui nutri-  
tus est tribus mensibus , in domo Patris sui Levi . Exposito  
autem illo , sustulit eum filia Pharaonis , & nutritivit eum si-  
bi in filium ; & eruditus est Moyses omni Sapientia Aegi-  
ptiorum , & erat potens in verbis , & in operibus suis ;  
Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus ,  
ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israël ;  
& cum vidisset quemdam injuriam patientem , vindicavit  
illum , & fecit ultionem ei , qui injuriam sustinebat , per-  
cuso Aegiptio , existimabat autem intelligere fratres , quo-  
niam Deus per manum ipsius daret salutem illis , at illi  
non intellexerunt . Sequenti vero die apparuit illis litigan-  
tibus , & reconciliabat eos in pace , dicens : *viri , fratres*  
*estis , ut quid nocetis alterutrum !* qui autem injuriam fa-  
ciebat proximo repulit eum dicens : *Quis te Constituit*  
*Principem ; & judicem super nos ! numquid interficere me*  
*tu vis , quemedmodum interficisti heri Aegiptium !* fugit  
autem Moyses in verbo isto , & factus est advena in terra  
Madian , ubi generavit filios duos , & expletis annis qua-  
dra-

## ( XXIV )

draginta apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flamæ rubi : Moyses autem videns admiratus est visum , & accedente illo , ut consideraret ; facta est ad eum vox Domini dicens: *Ego sum Deus Patrum tuorum , Deus Abraam , Deus Isaac , & Deus Jacob .* Tremefactus autem Moyses non audebat considerare : Dixit autem illi Dominus solve calceamentum pedum tuorum : locus enim in quo stas , terra Sancta est : videns vidi afflictionem populi mei , qui est in Aegipto , & gemitum eorum audivi , & descendit liberare eos , & nunc veni , & mittam te in Aegiptum . Hunc Moysen , quem negaverunt dicentes : quis te Constituit Principem , & Judicem . Hunc Deus Principem , & Redemptorem misit cum manu Angeli , qui apparuit illi in rubro . Hic eduxit illos faciens prodigia , & signa in terra Aegipti , in mari rubro , & in deserto annis quadraginta . Hic est Moyses , qui in Sina Monte legem accepit , & qui post longam sufferentiam , apud aquam contradictionis , virga percussit petram , & ad ipsam non fuit locutus , ut præceperat Dominus ; terram promisionis a longe vidit , & ingressus in eam prohibitus est illi ; tamen ut populum Israel Deo gratum faceret , morti proximus sic dulciter cecinit : *audite Celi quæ loquor , audiat terra verba oris mei;* Tunc comisit Josue , & Caleb populi regimen , & ingressum in terram a Deo promisam .

Moysē defunctō , ejusdem corpus sepultum fuit in valle terræ Moab , & non cognovit homo Sepulchrum ejus usque in

in præsentem diem . Et factum est post mortem Moysis servi Domini , ( sicuti Scriptura testatur ) ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun dicens : Surge & transi Jordanem istum , Tu , & omnis populus tecum , in terram quam ego dabo filiis Israel . Omnem locum , quem calcaraverit vestigium pedis vestri , vobis tradam , sicut locutus Sum Moysi . A deserto , & Libano , usque ad fluvium magnum Euphraten , omnis terra Heth æorum , usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester . Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ , sicut fui cum Moyse , ita ero tecum : non dimittam , nec derelinquam te . Confortare , & esto robustus . Tunc Josue , & Caleb cum populo Dei ingressi sunt in terram a Deo promissam , humiliaverunt opugnantes Reges , & post hæc divisit Josue partes terræ in duodecim tribus . Constituit Judices super eos , qui populum judicarunt usque ad Samuelem Proprietam , quem depræcati sunt Regem ( Domino non aprobante ) Et dedit illis Saul filium Cis , quem Samuel unxit in Regem . Saul defuncto regnavit David filius Jesse ex tribu Iuda , qui filium suum Salomonem sedere fecit in Throno , ipsi comendans templi ædificationem , quam Salomon perfecit , & annis quadraginta feliciter regnavit plenus Sapientia , divitiis , benedictionibus .

Filius ejus Roboam Patri in Regno successit , qui relatio Concilio Seniorum , populum opprimere decrevit : dicens Pater meus cædit vos flagelis , ego cædam vos Scor-

## ( XXVI )

pionibus. Ad hæc populus aversus. & in desperationem aetius dixit, quid nobis cum filio Isai! Tunc divisi decem tribus elegerunt sibi in Regem Jeroboam, & regnare cœpit super Israel. Domum vero David secutæ sunt tantum tribus Judæ, & Benjamin. Numeravit autem gens Hebræorum Reges usque ad Joachim, qui a Nabucho de Nosor Asiriorum Rege ductus cum populo in Babilonium captivus, merito perfidiæ, Idolatriæ, infidelitysque pœnas sub jugo luit. Super flumina Babilonis illic sedit, & flevit hebræorum populus, donec Asiriorum Imperium ad Persas transivit. Cui primò Cyrus ædificationem templi permisit; Et postea Artaxerxes amore Neemiac gratiam ampliavit. Reedificato Hyerosolimis templo, populi regimen obtinuit Sacerdotium; neque Misericors Deus ab eis Prophetas Sanctos abstulit, qui de adventu Justi, multaque alia prædicerent. Supremus Prophetarum Hebræorum, fuit Sanctus Joannes Baptista Præcursor Domini, de quo dixit infinita veritas: *Inter natos mulierum non surrexit maior Joanne Baptista.* Fuit homo missus a Deo ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum, qui viam Domini præparavit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Imperante Cæsare Augusto, toto orbe in pace composito, venit plenitudo temporis, & misit Deus Filium suum, ut salvus fieret mundus per ipsum. Jam sceptrum ablatum erat de Juda, ut filiis suis prædictis Patriarcha Jacob per

hæc

## ( XXVII )

hæc sequentia verba : *Non auferetur sceptrum de Juda , & Dux defemore ejus , donec veniat qui mittendus est , & ipse erit expectatio gentium : Jam implebantur Septuaginta Danielis Hædomada ; nam ab editu Sermonis Artaxersis usque ad Christum Dominum quadringenti anni elapsi sunt ; Et tunc Deus , qui olim multifariam , multisque modis loquebatur Patribus in Prophetis novissimè diebus ipsis locutus est nobis in Filio ; Et Verbum Caro factum est , & habitavit in nobis ? Et vidit omnis Caro salutare Dei . In ejus adventu Omnia Elementa , Auctorem suum venisse , testata sunt . Cæli Deum hunc cognoverunt , quia protinus stellam miserunt , Mare cognovit , quia sub plantis ejus se calcabile præbuit . Terra cognovit , quia eo moriente contremuit . Sol cognovit , quia lucis suæ radios abscondit . Saxa , & parietes cognoverunt , quia tempore mortis ejus scissa sunt . Infernus agnovit , quia hos , quos tenebat mortuos reddidit ; Et tamen hunc , quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt , adhuc infidelium Judæorum Corda Deum esse minimè cognoscunt , & duriora saxis , scindi ad pænitentiam nollunt .*

JUD. : Hunc quem dicis , & credis Messiam in lege promissum , a Patriarchis desideratum , a Prophetis prædictum , ab elementis Cognitum , non agnoscimus Redemptorem ; quippe Redemptor noster erit vir potens , plusquam Moyles ; homo a Deo mittendus cum potestate magna , cui omnes Reges terræ subjicientur , neque ad ejus nutum , & impe-

## ( XXVIII )

rium quis minimum opugnaculum facere audebit : Jesu verò Nazarenus, qui dicitur Christus, & Rex Judæorum, fuit quidam homo, cuiusdam Joseph pauperis fabri filius, & quia seductor erat, & Dæmonis Ope hebræorum quamplurimos in errorem induxerat, a Principibus Sacerdotum fuit comprehensus, coram Pontio Pilato, Judeæ Præside, & ab ipso, populo clamante, meritò Crucifixus, moriens blasphemavit dicens : *Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me* : in maledictionem incidit, quipe scriptum est maledictus omnis qui pendet in ligno.

CÆNOB.: Hæcine reddis Domino generatio perversa, & adultera, genima viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira! facite ergo fructus dignos pænitentiae, & nè cæperitis dicere Patrem habemus Abraam. In Circumcisio Cordibus semper Spiritui Sancto resististis. Venit Redemptor tuus querere oves, quæ perierant domus Israel, & parasti Crucem Salvatori tuo, hunc negastis ante faciem Pilati, judicante illo demitti. Cæterum pro gratia dicio, quis qualisvè erit vester iste Pseudo Messias a Sæculis expectatus, nunquam a Judæis inventus, nec in æternum inveniendus: utque tibi veritas magis elucescat, accipe de Pseudo Messiis judæorum sequentem enumerationem.

Primus ab antenatis tuis per adulationem Messias proclamatus fuit Herodes Ascalonità, a quo originem duxit Herodianorum secta, quæ tiranum suum credere Redemptorem non erubuit. Postea impii Samaritani Dositheus, &

Si-

## ( XXIX )

Simon Magus hanc nomenclaturam dolosè obtinuerunt . Adriano imperante , anno a nativitate Christi Domini 130. Quidam Judæus Barcochab dictus , id est filius Stellæ , ex proprio nomine , juxta vaticinium Balaam : orietur Stella ex Jacob: Messiam in lege promissum se constituit , Aki- ba celebri Rabino aprobante ; tunc ille auxiliatus a judæis magnam in Christianos crudelitatem exercuit , multosque occidit ; cæterum prædictus Imperator Judæorum audaciam comprimere volens , misit in Judæam Julium Severum , Du- cem præclarissimum , qui occidit Barcochab , & ex judæis præliantibus , & resistentibus quingenta , & octaginta milia trucidavit : quam ob causam Judæi , usque ad hodiernum diem , Pseudo Messiam non Barcochab , scilicet Stellæ fi- lium , sed Bar-Cozibam nominantur , id est filius mendacii.

Anno 434. Teodosio juniore impérante , Judæis in Cre- ta degentibus sualit quidam seductor , quod ipse esset Moy- ses , qui de Cælo descenderat , ut in Palestinam hebræorum populum supra mare , sicut vestigiis mirabiliter traduceret ; accidit tunc , ut credentium quamplurimi , qui in mare in- gressi fuerant , miserè perirent ; & pars illorum , quæ in littore remanserat , fratum sumersionem videns , lugensque , Moysen suum occidere tentabat ; ille verò in montana per- rexit , & evanuit ab oculis eorum : ex hac occasione non pauci Christi fidem suscepserunt ; ut constans est scriptorum traditio . Anno 522. in Ethiopia Dunaan Hebræus , dictus filius Moysis , verusque Messias in Christianos crudeliter sa- vit ,

## ( XXX )

vit, & in hac persecutione Martirium passi sunt Aretas,  
 & quidam puer quinque annorum, quorum memoriam cele-  
 brat Ecclesia Catholica, Apostolica Romana die 24. Octo-  
 bris. Hunc Pseudomeffiam apprehendit, & occidit Elesbaam  
**Rex Ethiopiæ** religione Christianus, Alexandriæ Patriarchæ  
 Charus, milite nullo superstite. Anno 529. Judæi, & Sa-  
 maritani adversus Justinianum Imperatorem in Palestina re-  
 bellati, quemdam Julianum Regem, Messiamque constitue-  
 rant, cæterum brevi temporis intervallo ab eodem Impe-  
 ratore victus Rex, Messias cum rebellibus tanti sceleris  
 merito pœnas luit. Anno 721 Hebræos seduxit quidam Cy-  
 rus. Anno 933. David Roy Judæus magicis artibus utens  
 Messias proclamatur. Anno 1437. in Galia Alter Mes-  
 sias surrexit. Iterum anno 1438 in Persia novus Messias  
 aparuit statimque trucidatus fuit Anno 1459. Cordubæ  
 quidam Pseudo Messias cum suis aseclis igni traditus est.  
 Anno 1532 quidam Judæus Rabi Salomon Molcho in Hi-  
 spania in Messiam se erexit, & absque ullo mortis timore  
 introivit audacter ad Carolum V. Imperatorem, & parvo  
 temporis intervallo ad Franciscum I. Galiæ Regem, eisque  
 suasis ut judaicam religionem amplecterentur, quam ob au-  
 daciā Mantua fuit igne consumptus. Anno 1666 de  
 Smyrna alterum Messiam Judæi aduxerunt. Denique anno  
 1682 ab Eysenstadt quodam Germaniæ vico exivit alter  
 Pseudo Messias Rabi Mardochai vocatus, qui ultimum su-  
 plicum pertimescens profugus in Turcas recessit. O verè  
 de-

## ( XXXI )

deploranda judaicæ gentis obstinatio, verum Messiam Christum Dominum vidi, audivi, tot prodigia facientem mirata est, & illum quem adorare debet, repulit; talibus vero seductoribus credit.

JUD. Hebraicus populus in scripturis Sanctis a primè instructus scit venturum Messiam totius orbis imperium possessorum, & amari usque ad mare dominaturum; illum timebunt Reges, & adorabunt universæ familiæ gentium. Christi vero regnum in terra ubi invenitur? Ipse idem Coram Præside Pilato confessus est quod regnum ejus de hoc mundo non erat: igitur cum in terra Christus regno caret, Messias esse non poterat: miror sane gentium insaniam, dum Crucifixum Messiam credunt, profitentur, adorant.

CÆN. Pervenimus tandem ad quæstionis apicem, ad Campum pugnæ, ad arboris radicem, ad centrum circuli, ad Domini mei Jesu Christi regnum, & imperium perfidis Judæis impervium, simulque a quamplurimis Libertinis hodie in terris negatum, quapropter si evidenter tibi ostendam Christum Dominum tam in Cælis, quam in terris regnantem, ipsum verum, unicumque Messiam libenter confiteberis? : JUD. Si hæc ostendis, Christianus evado. : CÆNOB. Eya ad arma: Christum Regem Dominantem gentibus omnis homo sanæ mentis compos agnoscit, Confiteatur, adorat. In ejusdem Sacratissimo adventu impletæ sunt prædictiones Prophetarum, adoratur a Regibus, diligitur a bonis, timetur a malis. Cum duodecim esset annorum Do-

Eto.

## ( XXXII )

& toribus in templo hedomadas Danielis legentibus Meflīæ regnum ostendit. Ingressus est Hyerosolimis Rex Mansuetus super pullum asinæ , ut Isaias , & Zacharias non obscurè prædixerant ; populo , puerisque una voce Christum Domini num Regem proclaimantibus , & dicentibus , Hossana in excelsis Benedictus , qui venit in nomine Domini o Rex Israel . Jam tunc Scribæ , & Pharisæi illam unisonam acclamationis vocem audire timebant , dicuntque ad Jesum , Magister increpa illos : Quibus ipse ait : dico vobis , quia si hi tacuerint lapides clamabunt , propter quod hodie Ecclesia Catholica , Apostolica Romana hujusmodi Christi Domini triumphum celebrans eleganti Carmine Canit : dicens Gloria , Laus , & honor , tibi sit , Rex Christe Redemptor ,

Cui puerile decus placeat Hossana pium .  
Israel es tu Rex , Davidis & inclita proles  
Nomine qui in Domini , Rex Benedicte , venis .  
Cætus in excelsis te laudat Cælicus omnis ;  
Et mortalis homo , & cuncta creata simul .  
Ples Hebraea tibi cum palmis obvia venit :  
Cum prece , voto , hymnis , adsumus ecce tibi .  
Hi tibi passuro solvebant munia laudis :  
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos :  
Hi placuere tibi , placeat devotio nostra ;  
Rex bone , Rex clemens , cui bona cuncta placent .

Hunc Regem regum , quem Patres vestri tempore passionis suæ illudebant Spinis Coronantes , arundinis sceptrum

of-

## ( XXXIII )

offerentes , & illusorie dicentes *Ave Rex Iudeorum* ; Hunc ipsum seria , efficaci deliberatione irridens iudeos Pilatus ostendit dicens : *Ecce Rex uester* : illisque clamantibus : *Crucifige Crucifige eum* : iterum miratus Praeses respondit interrogans , Regem uestrum Crucifigam ! Innocens sum ego a Sanguine justi hujus . Tunc Patres uestri de Deicidio , Particidioque Convicti , stolidi , amentes , sui , suæque generationis occisores absque ullo Dei timore oculis in terram defixis posuerunt os suum in Cælum : dicentes : *Sanguis ejus super nos , & super filios nostros* . Hic sanguis a vobis exquiritur , & haec est vera opprobrii , contumeliæ , dispersionis que iudeorum causa , & Origo . Progrediamur ulterius ad mayorem populi Judaici confessionem Pilatus Praeses , judexque iniquus Cæsaris timore perterritus iudeorum perfidiam pertimescens mortis sententiam in Christum Dominum protulit ; non tamen aprima intentione recessit , satis , supraque suasus ipsum esse Regem Iudeorum , propter quod supra Caput ejus missit Crucis titulum sic imponi , quem ipse scripserat : *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum* : literis Hæbraicis , Græcis , & Latinis , ut Domini nostri Redemptoris regnum universo Orbi palam innotesceret ; neque Principum Sacerdotum prævaluit apud Pilatum instantia : dicebant illi : *noli scribere : Rex Iudeorum* ; sed quia ipse dixit : *Rex sum Iudeorum* ; ad quos Praeses iræ motu respondit , quod scripsi scripsi ; ut impleretur : quæ concinit David fideli Carmine : dicendo nationibus *regnavit aligno Deus* . Post Christi Do-

## ( XXXIV )

mini mortem , ejus imperium cognoverunt , & inferi . Cūm  
verò Discipulis suis præcepit regnum Dei universo mundo  
Evangelisare , dixit : *data est mibi omnis potestas in Cælo ,*  
*& in terra ; ergo regnat & decorem indutus est , & firma-*  
*vit Orbem terræ , qui non commovebitur ; regnat devicto-*  
*que mortis aculeo aperuit credentibus regna Cælorum . Ipse*  
*aufert Spiritum Principum , transfert de Gente ingentem*  
*regna propter injusticias , dividit Spolia , Virgam virtutis*  
*emmittens , & conuasabit capita in terra multorum , utque*  
*tibi Domini mei Jesu Christi in carne impassibili impe-*  
*rium , supremumque dominium ostendam , esto vigilans in*  
*prodigiorum serie , quam breviter exponam .*

Missit Dominus in mundum universum Discipulos suos  
prædicare ; prædicant ipsi Christum Regem Crucifixum , &  
quod videbatur Judæis scandalum , Gentibusque stultitia in  
ædificationem , lumen , Sapientiam , & triumphum transi-  
vit ; Nam in ipso nascentis Ecclesiæ exordio , cùm perma-  
nus Apostolorum fierent signa , & prodiga multa in plebe  
Judæorum miliaria fidem susceperunt , gentiumque copiosa  
multitudo ad lucem pervenit . Augebatur quotidie creden-  
tium numerus , & quod magis mirabile erat videre repen-  
tè ex persecutoribus prædicatores fieri , ex blasphemantibus  
laudatores insurgere , sicuti & Sanctus Dismas Latro bonus  
in Cruce , & quiq[ue] illum immitari curabant . In omnem  
terram exivit Apostolorum sonus , & in fines Orbis terræ  
verba eorum ; & tunc Reges gentium mittebant Coronas

suas

suas ante thronum Christi Domini Regis Crucifixi , Post  
 transitum Apostolorum in Cælestem Patriam viri Apostoli-  
 ci eorumdem fidelissimi Sectatores , Christi imperium per  
 omnes mundi plagas proclamarunt , Domino a probante ,  
 & demonstrante filii sui super universam terram regnum ,  
 & imperium ; utque tibi veritatis hujusc evidentia com-  
 probetur : Dic , quæso , ubi sunt hodie potentissimi quon-  
 dam Romani Imperii vestigia . Ubi invenies Tiberios Ne-  
 rones , Diocletianos , claudios , Vespasianos , Domitianos , sin-  
 gulosque crudelitatis Aseclas , & ubi istorum progenies re-  
 peritur ! abiit , excessit , evasit , erupit . Non vides autem !  
 quomodo quamplurima regna uno confaderantur Imperio ,  
 & sub Christi Domini potestate per ejus Vicarium in terra  
 Constitutum , vocem illius audiunt , mandatis obtemperant ,  
 munia adimplent ; & Roma , quæ prius erat frementium  
 bestiarum Sylva ex Magistra erroris facta est discipula veri-  
 tatis , & quid quid jam non posidet armis religione tenet ;  
 licet enim Dominus dominantium , hic Rex regum , de  
 quo per Prophetam dicitur : Super Idumæam : nempe uni-  
 versam terram : extendam Calceamentum meum , invisibilis  
 nunc sit ut credentium , electorumque fides meritum te-  
 neat , ejus tamen Imperium in Cælo , & in terra quis non  
 videt ! eritnè bona hæc argumentatio . Rex non comparet :  
 ergo non regnat , non vivit , non dominatur ; absit . Scimus  
 enim Tartariæ Kam , Chinenses , Japonenses Imperatores in-  
 visibiles fieri tam suis Subditis , quam advenis viatoribus ;

## ( XXXVI )

nullus tamen sanæ mentis dè eorum dominio , & imperio dubitare est ausus : Cur igitur Supremam Christi Domini potestatem super universam terram blasphemant Judæi , dubitant Mahometani , vacillant libertini , loquuntur adversarii ! cum Cæli , terræ , marium benedicant Dominum cunctæ Creaturæ , Sedet Rex regum , Dominus dominantium ad dexteram Majestatis in excelsis , nobiscum tamen in hoc mundo Conversatus in venerabili Eucharistiæ Sacramento , passionis ejus memoriale perenne , in quo de sua contristatis absentia Solatium singulare reliquit . JUDÆUS : Incidis in Scylam volens vitare charibilim ; usquemodo de Christo Messia , de Deo humanato , de Domino dominantium de regum Rege , deque ejusdem in terris imperio diserebas ; nunc vero in aliam dementiæ speciem elaberis , cum mihi Eucharistiæ Sacmentum proponis ; enim dicis Christi Corpus sub speciebus panis , & vini contineri , in Ecclesiis servari , & vobiscum usque ad consumationem Sæculi permanere , quis similia Christianorum somnia credit amens evadit . Deus homo factus , Deus patiens , Deus mortuus , Deus denique , a bonis , & malis sumptus , & manducatus ! nec scio quomodo iram suam valeat contineri Deus in tot hominum blasphemiis , & quare impunis per tot sæcula hæc execranda supersticio relinquatur . Est nè Deus vivus Bachus , aut Ceres simulata Deitas , ut in pane , & vino delectari , & transubstantiari possit , ad ulteriora transfire non valet Christianorum insania .

Cæ.

## ( XXXVII )

CÆNOB.: O plene omni dolo , & falacia , fili diaboli ,  
 inimice omnis justitiae ; generatio perversa , & adultera ,  
 Genima viperarum , cur Dominum Deum nostrum sic  
 blasphemas , est ille Omnipotens , Immensus , Misericors ,  
 humanæ salutis amator , cuius testimonia credibilia facta  
 sunt nimis factus est homo , ut homo fieret Deus . Lege  
 Prophetarum Hebræorum Oracula , & in ipsis invenies fi-  
 dem veritatis , quam tibi ostendo . Isaias dixit : *Ecce veniet*  
*Deus , & homo de domo David sedens in throno :* Deum fla-  
 gelatum luget Jeremias : *Christus Dominus Captus est :* da-  
 bit percutienti se maxillam . Deum oculum proponit Daniel  
 dicens : *post bedomades Sexaginta duas occidetur Christus , &*  
*non erit ejus populus , qui eum negaturus est .* Deum invene-  
 rabili Eucharistiæ Sacramento Psalat David : *manducaverunt ,*  
*& adoraverunt ; In conspectu ejus cadent omnes , qui descen-*  
*dunt in terram .* Non me latet quod quando Christus Domi-  
 nus turbis Judæorum dixit : *Caro mea vere est cibus , & san-*  
*guis meus vere est potus :* indignati sunt Judæi dicentes ,  
 quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducan-  
 dum , & sanguinem ad bibendum ! *durus est hic sermo , &*  
*quis potest eum audire .* Jesus autem eorum curiositati non  
 satisfecit , sed misterium impossibile judicantibus , Divina au-  
 thoritate mortem Comminatus est : dicens : *Nisi manducaveritis*  
*carnem filii hominis , & biberitis ejus Sanguinem , non habebitis*  
*vitam in vobis , qui manducat meam carnem , & bibit meum*  
*Sanguinem , habet vitam æternam ; & ego resuscitabo eum in*

## ( XXXVIII )

novissimo die; Patres vestri manducaverunt manna in deserto,  
 & mortui sunt, qui manducat hunc panem vivet in æternum.  
 Juste Dominus turbis Judæorum tanti misterii incredulis  
 damnationis æternæ pñnam imposuit, quipe credebant ipsi  
 quod virga Moysis Coram Pharaone versa sit in serpentem,  
 & de serpente iterum in virgam. Sciebant quod Dominus  
 pluit manna de Cælo Patribus eorum, illosque in deserto  
 cibavit: donec ingressi sunt terram promissam. Confiteban-  
 tur Deum Verbo virtutis suæ fecisse Cælum, & terram,  
 mare, & omnia, quæ in eis sunt: audent tamen sciscitari,  
 quomodo potest carnem suam dare ad manducandum, &  
 hoc mirabile Sacramentum in cibum viatorum instituere;  
 magis est ex nihilo omnia facere, quam ex pane, & vino  
 Cælestè cibum confidere. Ergo nisi manducaveritis carnem  
 filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis  
 vitam in vobis: Recordor nunc Judæos Talmudistas aserere  
 Deum Beatos suos cibare pisce *Leviathan*, sale conditò per  
 singulos annos initio mensis Casleu; si igitur Hebreorum  
 mortuis piscem in alimoniam præstat, quare fidelibus cre-  
 dentibus carnem suam in cibum, & sanguinem in potum  
 dare non poterit. Cæterum non miror Judæos hoc Celeste  
 alimentum despicere; manna enim hujusmodi Divini Cibi  
 figura Patribus eorum nauseam in deserto generavit, quam  
 ob causam sicuti Parentes sub ira Dei fuerunt, ita & filii  
 nunc sunt. Præpterea venenatus stomachus, teste Hypocrate,  
 cibum utilem aversatur. Parabatur vobis mensa Domini,

nunc

## ( XXXIX )

nunc vero in tenebras exteriores missi estis . Omira rerum  
cōversio ! Israel quondam filius , nos canes , pro diversitate  
fidei ordo nominum commutatur : de illis postea dicitur :  
*Circumdederunt me Canes multi ; at nobis data est potestas*  
filios Dei fieri , qui credimus in nomine ejus , & carnem  
suam manducamus , & sanguinem bibimus . Ad Cenam  
Magni Dei Judæos Angelus vocabat : dicens : *Venite , illi*  
vero dixerunt : *babe nos excusatos* . Tunc Angelus , præcepto  
Domini , compulit intrare clados , Cæcos , debilesque gen-  
tiles , qui infortitudine cibi hujus ambulabunt usque ad  
montem Dei , & nobiscum erit usque ad consumationem  
sæculi .

JUDÆUS : Si Eucharistæ Sacramenti institutionem acura-  
tè contemplaveris evidenter videbis Christum suam illusisse  
Ecclesiam . Primò quia expletis epulis , postquam discipuli  
inebriati erant , se ipsum præbuit in cibum . Secundò : di-  
scipuli adhuc baptisati non erant nisi baptismō Joannis ,  
neque Spiritu Sancto confirmati , Tertiò quia ex Evangelio  
constat hunc novum cibum nullam manducantibus præstasse  
fortitudinem , nam in eadem nocte Judas Magistrum ven-  
didit , Petrus negavit , & relicto eo , omnes fugerunt . De-  
finitur præterea a Theologis Eucharistia ; Sacramentum a  
Christo institutum causativum gratiæ cibativæ ; & quam  
gratiæ in illa nocte similis cibus produxit ! traditionem ,  
negationem , timorem . Si ergo in illa hora ad nihilum di-  
scipulis profuit , quomodo nunc creditibus proficiet ! Quar-

to

tò Christus erat in corpore passibili , palpabili , extenso , visibili , quomodo adeo repente evadit impassibilis , inex- tensus , invisiibilis , simul , & visibilis ; risum tenearis amici . Quinto denique inter tot Deitates a Gentilibus confictas non legitur chimera consimilis , nempe quod aliquis Deorum semetipsum præberet comedendum , gustandum , bibendum ; Christus ergo pauperes , ignarosque pescatores Consultò quæsivit , ut in eorum mentibus hæc deliramenta in gereret , scilicet manducare hominem vivum , integrum cum omnibus suis partibus simul sumptis , & unitis . O porten- tum à sacerulis inauditum , incredibile , improbabile . O in- saniarum insania , impossibilium omnium maximum , & ul- timum impossibile .

CÆNOB. : De Judæorum perfidia conquæritur Dominus dicens : Cognovit bos possessorem suum , & asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit . Est Eucharistiaë Sa- cramentum a mundi origine in arbore vitæ figuratum , à Patribus concupitum , ut legitur in libro Job cum dixit : quis det de carnis ejus ut Saturemur . A David Præpositum : parasti in conspectu meo mensam adversus omnes , qui tribulant me . A Zacharia laudatum : quid enim bonum ejus est , & quid pulchrnm , nisi frumentum electorum , & vinum germinans virgines . Erant , & in veteri lege panes propositionis in conspectu Dei semper . In Bethlem , quæ domus panis in- terpetratur nascitur Messias Christus Jesus , Rex Judæorum , panis vivus , qui de Cælo descendit , & nunc interrogant

quò

quòmodo potest carnem suam dare ad manducandum . De veritate dubitas ! & mihi futile argumenta proponis , ad singula tamen respondere decerno ad confutandam , evellendamque Judæorum prævicaciam , insaniam , audaciam , & perfidiam ; & primò ad primum .

Dominus meus Jesus Christus , post agnum typicum , expletis epulis , venerabile Eucharistiæ Sacramentum instituit , & semetipsum dedit discipulis in cibum ; ut judæis indiceret agnum Paschalem non amplius manducare , ipse enim verus est agnus , qui tollit peccata mundi , de quo dixit Propheta : *emite Agnum , Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Erat jam Pascha nostrum Christus immolandus ; ideoque veteris legis agno consumpto , Eucharistiæ Sacramentum instituere oportebat : blasphemasti , dicendo quòd Sancti Apostoli , Discipuli Domini inebriati erant post cænam , quando Dominus Eucharistiæ Sacramentum instituit ; Si scires , & cogitasses quanam sobrietate , reverentia , modestia , contemplatione , & gratitudine antiqui Ebræi agnum Paschalem comedebant ; in absurdum adeo execrandum non prærumperes .

Secundò aserebas Domini discipulos Baptizatos non esse ; falsum est , quod judicas ; nam si Discipuli , ut ex Evangelio constat , baptizabant in nomine Christi , quomodo & ipsi a Domino baptizati non erant ! Confirmatio autem ad Eucharistiæ sumptionem minimè requiritur ; & si tamen aliqua deficeret conditio , præsens legislator & institutor po-

terat dispensationem præbere. Tertiò judicasti Divinum cibum in Discipulorum animis nullum produxisse effectum, Constat enim, Judam, post bucellam panis traditorem fuisse, negativum Petrum, reliquosque ad Cænam, invitatos Passionis tempore aberrasse. Respondeo Judam proditorem fuisse ante Eucharistia sumptionem, cum Diabolum jam misisset in Cor. Huic tamen porrexit Dominus Sanctissimum Corpus, & Sanguinem suum. Primò ut ostenderet infinitam Dei bonitatem, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Secundò nevè occultum traditoris peccatum palam faceret. Tertiò denique ut ante passionem patiretur ingratitudinis injuriam, qui pro peccatoribus mori summopere cupiebat, propterquod dixit : *Desiderio desideravi hoc Pascha mandare vobiscum* : Unde virtus Sacramenti proditori profusset, si de miseratione Divina, infelix non desperasset. Petrum negantem proponis, & amarè flentem non consideras! fragilitate potius hic, quam animi pravitate peccavit; Sed quia dignè Eucharistiam suscepserat, Dominus, qui se ipsum dederat in cibum, cibavit illum postea pane Iachrimarum; simul & Discipulos timore perterritos, virtus Sacramenti non deseruit; erat Dominus granum mortificandum, & multiplicandum; paulisper mortificatum tempore passionis suæ in Cordibus Discipulorum; multiplicandum postea fide popolorum, & maximè in electorum animis. Ecce Dilectus Evangelista Joannes, qui supra pectus Domini in Cæ-

## ( XLIII )

na recubuit, juxta Crucem immobilis stetit, & quia passionum socius fidelis permanserat, a Domino meruit altius honorari, filiationemque Dei Matris Mariæ gloriosus accipere. Hic est Discipulus ille, qui testimonium peribet de his, & scimus, quia verum est testimonium ejus, præpterea Discipulorum tristitiae, compassiones, afflictiones, quid aliud erant, nisi Sacræ Eucharistiæ effectus, cuius memoria indelebilis singulorum mentes repleverat; ut testantur Discipuli in Castelum Emmaus progredientes, qui illicò Dominum cognoverunt infractione panis: ergo non in vacuum Sacramenti gratiam acceperunt, ut temeritate solita aserere non erubescis.

Ad Quartum Judæorum impossibile. Respondeo. Christus Dominus, quando semetipsum dedit Discipulis in cibum erat in carne passibili, extensa, palpabili, visibili: ergo Eucharistiæ Sacramentum instituere, dum in mortalibus ageret minimè poterat, Ridicula asertio, & pessima illatio. Passibilis erat Dominus quando in Cana Galileæ aqua in vinum convertit; extensus erat cum de quinque panibus, & duobus pisibus satiavit indeferto quinque milia hominum. Palpabilis denique & visibilis quando in transfiguratione resplenduit facies ejus sicut Sol, & facta sunt vestimenta ejus alba sicut nix; hujusmodi miraculi non tantum Petrus, Jacob, & Joannes, sed & Moyses, & Elias testes extitère. Poterat Hic, qui supra maris undas ambulavit, Dæmonia ejecit, mortuos suscitavit, futura prædictit, mi-

rabilia fecit , Eucharistiæ Sacramentum instituere ! O' valde insanis Judaica perfidia . Credidit Diabolus , quòd Dominus Jesus Christus , verus Messias poterat lapides in panem convertere , & Cæca protervorum mens de facto dubitat , de possibilitate interrogat . Amen , Amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filii hominis , & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam æternam .

At quid Gentilium Deitates aduxisti , ut venerabile Eucharistiæ Sacramentum irrideres ; crediderunt & ipsi , hominum , mulierumque conversiones , transmutationes , transubstantiationes in arbores , aves , lapides , fontes , in diversorumque animalium genera . Deus vero Optimus , Maximus , qui ex nihilo omnia fecit , & nova facit omnia , non poterit panem in carnem , & vinum in sanguinem suum transubstantiare ; alit publicanus avis celeberrima proprio sanguine filios suos , Christus autem Omnipotens Deus , propter nimiam charitatem suam pro hominibus Crucifixus , passionis suæ memoriam , & æternæ gloriæ pignus nobis non relinqueret ! Quod promisit implevit , dixit enim : *ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem Sæculi* ; & factum est ita . Miraculorum ab ipso factorum maximum . O Sacrum convivium , in quo Christus sumitur . O Salutaris Ostia , quæ Cæli pandis Ostium , bella premunt hostilia dà robur , fer auxilium . Visus , gustus , tactus int̄e falitur . Sed auditu solo tutò creditur ; Credo quidquid dixit Dei filius , nil hoc verbo veritatis verius ; in Cruce latebat sola Deitas ,

tas , at hic latet simul , & humanitas , peto quod petivit latro pænitens , plagas sicut Thomas non intueor , Deum tamen meum te confiteor , nobis natum , nobis datum ex intacta Virgine .

JUDÆUS . En nova insurgit Chimera MARIA Mater Christi tui Virgo ante partum , in partu , & post partum . Ante partum scimus habuisse maritum Joseph Filium Jacob , ex eadem tribu Juda . In partu dolores vehementes , Sanguinis fluxus , corporis Nati exitus Virginitatis claustrum violare debebant . Pospartum alios peperit filios , constat enim ex Evangelio Christum plures fratres habuisse : ergo non fuit MARIA Virgo , sed mulier , sic proptulò a filio de Cruce prædicata : *Mulier ecce Filius tuus* .

CÆNOB .: Nil est quod me magis delectet , quam de Immaculata Virgine Maria habere Sermonem , assumere defensionem , virtutes prædicare , laudes promovere ; paratus semper , Sanguine proprio , ejusdem Virginis Conceptionem purissimam , illibatamque Virginitatem , Constanter profiteri , fortiterque tueri , quipe qui elucidant illam vitam æternam habebunt . Qualis , & quanta sit Beata , & gloria- sa Virgo MARIA ab Angelo Divinitus declaratur , cùm dicitur : *Ave grata plena , Dominus tecum* . Talibus namque decebat Virginem oppignorari muneribus , ut esset gratia plena , quæ dedit Cælis Gloriam , terris Dominum , fidem gentibus , finem vitiis , vitæ ordinem , moribus disciplinam ; quidquid in ea gestum est , totum puritas , &

sim.

Simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de Cælo prospexit, & ideo Immaculata, quia in nullo corrupta.

*Faciet, inquit Jeremias Sanctus, Dominus novum super terram Mulier circumdabit Virum.* Verè novum, & Omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit, sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum violare nesciret, sive gestatus, ut totus Deus in eo esset; & sic exivit inde, ut esset, sicut Ezechiel fatetur: *Porta omnino clausa.* Unde canitur in eisdem Canticis de ea: *Hortus conclusus fons signatus;* sic conclusus ut nesciat violari. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis. Fuit equidem Joseph vir ejus, sed antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Sicut enim Deus noster cum primum Adam facere vellet, non ex conjugione viri, ac mulieris hominem, ut esset, effecit, sed accipiens terram inde hominem, Divina quadam arte formavit: ita sine viri conjugione, Deum in virginali alvo incorporari dispensavit: ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per MARIAM Virginem procreari! Quoniam sicut Adam ex terra Virgine figuratus est; ita &c Christus ex Virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam, hic mundum Spiritus Sanctus de MARIA Virgine Christum ho-

## ( XLVII )

hominem figuravit ; fuit similis reparatio , quomodo fuit  
 & hominis Creatio . Poterat Moyses virga Silicem percu-  
 tere , & absque ulla lapidis laesione , populo dare aquam ad  
 facietatem , & non potuit Deus , claustro Virginis inviola-  
 to , nobis largire suam Deitatem , simul & humanitatem :  
 Quapropter erga Christi humanitatem , ejusque Sanctissimam  
 Matrem , quidquid tibi vera ratione melius occurrit , hoc  
 scias , magis Deum fecisse , quam non fecisse . Decuit Vir-  
 ginem ea puritate nitere , qua mayor sub Deo nequit in-  
 teligi ; neque alterum filium generare debuerat Virgo , qua  
 Deum hominem genuit , sicuti Ezechiel prophetavit dicens :  
*Hæc porta clausa erit , non aperietur ; Et vir non intrabit per*  
*eam , quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam ,*  
*eritque clausa Principi ; Princeps ipse sedebit in ea :* Ergo si  
 Hebraeus es , & Hebraorum Prophetis fidem debitam præ-  
 stas , credere debes , & confiteri Beatissimam Virginem MA-  
 RIAM veram esse Dei Matrem , semperque Virginem per-  
 mansisse ante partum , in partu , & post partum .

JUDÆUS : Non credam , neque in æternum Confitebor  
 MARIAM Dei Matrem , & Virginem fuisse . Primò quia  
 Deus omnium Pater , & Creator Genitricem habere non  
 valet . II. quipe Messias erit ex tribu Juda , sed non ex  
 Virgine natus ; nullus enim hominum post Adam absque  
 coniunctione Viri , & feminæ potest in mundum venire .  
 Tertio quia MARIA Castitatem vovens contra legem Le-  
 vitici peccavit ; Et si virgo in ævum permansit quomodo

ma-

## ( XLVIII )

matrimonium contraxit ! Denique fingere inter Hebræos Monachismum absurditas est ; cùm apud nos , usque in hodiernum diem Maledicta sit mulier , quæ non parturit .

CÆNOB. : Qui non credit jam judicatus est . Jam tibi juxta Prophetarum dicta Deum hominem ostendi factum ex muliere ; quod autem de Virgine Conceptus , & natus sit , Isaias aperte declarat dicens : *Ecce Virgo Concipiet , & pariet filium , & vocabitur nomen ejus Emmanuel* ; id est nobiscum Deus ; igitur novus homo venit in mundum reparare quidquid primus homo perdiderat ; & sicuti Adam de terra Virgine formatus , ita & Christum de Virgine nasci oportebat . In Bethlem Judæ nascitur ex MARIA Virgine factus homo ut impleretur scriptura : *Et tu Bethlem terra Iuda nequaquam minima es , in principibus Iuda ex te enim exiit dux , qui regat populum meum Israel* . Ad tertium argumentum cum fustibus , & gladiis , lapidibus ; & armis responderet liceret ; posuisti enim Os tuum in Cælum dicens : *peccavit Maria in legem , quando votum Castitatis emisit* . MARIA gratia plena , in qua nec nodus Originalis , nec Cortex actualis culpæ fuit , quæ neque serpentis persuasione decepta , nec ejus venenosis assatibus infecta est . MARIA de qua Salomon in canticis : *Tota pulchra es amica mea ; Columba mea , formosa mea , & macula non est in te* . MARIA Sanctior universis , excelsa super sidera , quæ nec similem visa est , nec haberè sequentem . Maria Aurora consurgens , pulchra ut luna , electa ut sol , terribilis ut Castrorum acies


## ( XLIX )

acies ordinata Virginitatem suam Deo vovens poteratnè  
 a via veritatis discedere! Orta est de tribu Juda, Clara ex  
 stirpe David, Regali ex progenie descendens, sed super An-  
 gelorum Chorus ascendens. Illa denique, per quam legum  
 Conditores justa decernunt, legem violare nescivit. Votum  
 Castitatis emmisit cum affectu tanto ad rem promissam,  
 quod si Maternitas cum Virginitate incompositilis foret,  
 Dei Matrem fieri nullatenus vellet. Scio utique non so-  
 lum Judæorum sinagogam, sed etiam carnales, & petulcos  
 nostri temporis hæreticos, in persona Beatissimæ Virginis,  
 Dei Matris, votum subsanare, & explodere; Cæterum hi  
 Canes ad lunam.  
*Et latrant, sed frustra agitur vox irrita ventis,*  
*Et peragit cursus Surda Diana suos.*  
 MARIAE Virginitatem Deo dicatam satis ostendunt verba,  
 quæ sibi fætum anuntianti Angelo Virgo purissima reddi-  
 dit: *quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco;*  
 quod profectò non diceret, nisi Deo Virginitatem se antea  
 vovisset; sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant,  
 desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed po-  
 tius contra violentos custodituro; quod illa jam noverat,  
 quamquam etiam si hoc solum dixisset: *quomodo fiet istud;*  
 nec addidisset: *quoniam virum non cognosco*, non quæsis-  
 set utique promissum sibi filium, quali modo femina pari-  
 tura esset, si concubitura nupsisset; Virginitatem Deo di-  
 cavit; cùm adhuc quid esset paritura nesciret, ut in terre-

fidia , & incredulitate discede , aut nomen muta . Cæterum nomen retine , quia hoc singulare nomen tuum , magnos mihi animos facit futuræ conversionis Hebræorum ; dixit enim æterna veritas Christus Dominus : *Elias veniet , & restituet omnia* . Venit Præcursor Domini Sanctus Joannes Baptista in Spiritu , & virtute Eliæ dicens : *Ecce Agnus Dei , ecce , qui tollit peccata mundi* ; & non cognoverunt eum , sed fecerunt in eum , quæcumque voluerunt : veniet autem Elias Præcursor universalis judicii . & tunc Carnales , Carnivori- que Judæi Redemptorem Jesum , quem Agnum Dei non receperunt , Leonem de Tribu Juda , vincentem , & rugientem timebunt ; & quos non traxit amor , coget timor : sic que omnis Israel salvus fiet , qui vero non crediderit condemnabitur . O Altitudo divitiarum scientiæ , & Sapientiæ Dei : quæm incomprehensibilia sunt judicia ejus , & in vestigabiles via ejus ; quis cognovit sensum Domini , aut quis Conciliarius ejus fuit .

Tu vero , Elias , nominis tui virtutem agnosce : adeò enim potens apud Judæos hoc nomen est ; quod cùm Dominus meus Jesus Christus in Cruce pendens clamaret dicens : *Eli , Eli lamma Sabathani* , quod interpretatur Deus meus , Deus meus ut quid dereliquisti me . Dicebat astantium multitudo : *Eliam vocat iste : videamus si veniat Elias liberans eum* . Si ergo Eliæ nomen vestrorum judicio poterat Christum a tormentis liberare ; cur te non poterit a Demonis potestate eripere ! Eliam voca , Eliam obsecra , E- liam

liam depræcare, ut Cordis tui duritiem aufferat, cætitatem avertat, intellectum illuminet, ut Deum Trinum & unum Credas, Christum Redemptorem confitearis, Crucem Sanctam adores, Immaculatam Dei Matrem laudes, Sacramenta recipias, & in Ecclesiæ Sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ Romanæ fidem receptus, fidelis usque ad mortem firmiter perseveres; ut veluti Elias per turbinem in Cælum aspensus in æternum gloriaris. Vade & Cænobitæ Lusitani, Melitæ detenti, argutiarum tuarum solidas solutiones mente retine, semperque memorare. Elias, Elias, convertere, convertere ad Dominum Deum tuum. Si verò non vis, tibi flens dicam quidquid Antiochiæ Judæis contradictibus, & blasphemantibus Paulus, & Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vite; Ecce convertimur ad gentes.*



OLIVEIRA

SILVA

# PROTESTATIO

A U C T O R I S

Hoc Opus, animumq[ue] meum, iudicio, &  
Censuræ Romanæ Ecclesiæ, Ecclesiarum  
Matri, & Magistræ, Ecclesiæ Dei vivi, Columnæ,  
& firmamento veritatis humiliter, devotè, & sin-  
cerè, usque ad mortem in omnibus obediens sub-  
jicio.

D. Emmanuel Oliveira Mascaregnas Silva  
Præsbyter Portugalensis.

ABIEVIT